Programm

des

Königlichen Gymnasiums zu Wetzlar

für

das Schuljahr von Michaelis 1863 bis Michaelis 1864,

womit zu der

auf den 29. August festgesetzten

öffentlichen Prüfung und Schlußfeier

ergebenst einladet

der Director W. Lorenz.

Inhalt:

1) De stichomythia Euripidea. Scripsit Dr. H. Behrns.
2) Schulnachrichten vom Director.

Wetzlar 1864.
Gedruckt bei Friedrich Tobet.

De stichomythia Euripidea.

Artis criticae in tragicorum fabulis exercendae subsidium repeti posse haud spernendum e sermone illo alterno, cui στιχομυθία nomen indiderunt veteres, quamvis satis videatur constare inter viros doctos, tamen vix ullum invenies interpretem, qui hujus legis ita constanter habeat rationem, ut nullo loco eam non sequendam esse censeat. — Cujus rei causa nescio an in eo ponenda sit, quod de finibus, intra quos contineatur, deque legibus, quas sequatur stichomythia, nondum satis convenit; quamquam non omnino defuerunt, qui in hanc rem accuratius inquirerent. cf. Kvičala Ztschr. f. d. östr. Gymn. 1858, H. 7, p. 610 sqq. — Neque enim eodem modo in vicibus loquendi instituendis versati sunt poetae tragici illi tres, quorum opera tulerunt aetatem: alia enim est ratio stichomythiae Aeschyleae et Sophocleae, alia Euripideae. Etenim, ne plura moneam, Aeschylus et Sophocles haud paucis locis alternandi viam ingressi sunt eam, ut binis versibus alterius personae respondere vellent alterius singulos; cujusmodi exempla reperies apud Aeschylum Prom. v. 40, v. 971, Suppl. v. 902, apud Sophoclem Aj. v. 791, Phil. v. 34, Oed. tyr. v. 726, v. 836, Oed. Col. v. 1160. — Euripides contra intra arctiores fines videtur se continuisse: qui, si ab eis abscesseris locis, qui lyrici potius carminis prae se ferant speciem et ad strophicam, qua chorus utitur, legem videantur revocandi, quales sunt Andr. v. 808, Jon. v. 798,[1]) ad eam solam normam exegit stichomythias, ut singulis versibus alterius personae responderent alterius singuli, bini binis. Etenim quos locos, ut contrariam sententiam stabilirent, attulerunt Kvičala et Schoenius, Bacch. v. 832, Jon. v. 1436, Electr. v. 670, eorum rationem plane esse aliam, vix poterit negare, qui statuere noluerit, Euripidem, sententiarum connexu prorsus neglecto, nihil nisi externam quandam aequabilitatem expetivisse, perspicuam illam legentium potius oculis quam auribus audientium. Etenim Jon. v. 1436 — de Bacch. v. 832 infra accuratius exponemus — Kvičala et Schoenius v. 1436—39 respondere voluerunt versibus 1442—45, contra v. 1440—41 versibus 1446—47. Quae versuum distributio quamvis habeat, quod assensum ferat locum parum accurate inspicientis — etenim utrique personae pari eodemque intervallo idem numerus versuum tribuitur — tamen apertum est, v. 1436—40, ut quibus contineantur ea, quae ut aperiret Creusa, Jon v. 1435 erat hortatus, ab antecedentibus sejungi non posse.

[1]) In numeris sequor Kirchhoffium.

Itaque v. 1436—40 eam quasi inquisitionem, quam instituerat Jon, finiunt iidemque concludunt stichomythiam, quae initium ceperat inde a v. 405. Soluta autem Jonis dubitatione, inde a v. 1441 novum inter Creusam et filium incipit colloquium, quod, sive sententias, quas continet, sive metrum respexeris, a melico carmine propius quam a diverbio videatur abesse. Prorsus similem finem invenies ejus stichomythiae, qua ut Orestem fratrem agnoscat, adducitur Iphigenia, Iph. Taur. v. 810. — Alterius vero loci, Electr. v. 670, quo liber manuscriptus Oresti tribuit v. 670—71 et v. 673—74, Electrae contra v. 672 et v. 675, ut binis Orestis versibus Electrae singuli videantur respondere, ejus verum ordinem haud dubie restituit Kirchhoffius. Praeterquam enim quod ejusmodi versuum distributio, qualis in codice inest, nullo alio loco Euripideo invenitur, eum, quem traditum habemus, ordinem non fert v. 671, cui nescio an parum medicinae afferat Kvičalae conjectura *οἴκτειρε δ' ἡμᾶς* scribendum esse censentis. — Denique possit quispiam inducere in animum, pertinere huc Orest. v. 1236 sqq., cujus loci ea est ratio, ut binis hemistichiis respondeat versus totus. Sed tenendum est, hoc loco tres personas loquentes facere poetam indeque ortam esse distributionem versuum non illam quidem in duarum personarum diverbio usitatam, sed tamen eam, quam bene se habere nequeamus negare. Etenim binis, quae continentur versibus 1236, 1238, 1240 hemistichiis singuli versus 1237, 1239, 1241 respondent. — Ceterum quin in distribuendis his versibus verum restituerit in codice Marciano manus secunda, verba *ἠψάμην δ' ἐγὼ ξίφους*, v. 1236, Electrae, contra v. 1237 Pyladi assignans, equidem nullus dubito. Etenim non solum in antecedentibus, verum etiam in sequentibus eum reperimus personarum ordinem, ut Orestis orationem excipiat Electra, Electrae Pylades: quem ordinem quominus hoc quoque loco intactum servemus, non video, quid impediat. Etenim verba *ἠψάμην δ' ἐγὼ ξίφους* abhorrere ab Electrae moribus, quales adumbravit Euripides, non contendet qui in comparationem vocaverit Electrae v. 1221: *ξίφους δ' ἐφηψάμαν ἅμα,* et v. 1237 a Pylade minime alienum esse demonstrat Orest. v. 1090: *καὶ πάντ' ἐβούλευσ' ὧν σὺ νῦν τίνεις δίκας.*

Jam vero quam supra adumbravimus legem, ut hemistichio hemistichium, singulis versibus singuli, binis bini opponantur, eam latissime patere apud Euripidem non potest non persuasum esse perlegenti fabulas Euripideas longissimasque, quae insunt, stichomythias perlustranti. Quin etiam poeta anxietate quadam et severitate hanc legem secutus esse videtur; unde factum est, ut haud raro servandae stichomythiae causa insereret, quae vel supervacanea vel etiam subabsurda nobis videantur necesse sit. Ita Creusam recordatione infantis expositi vehementissime commotam, quum exclamaverit Jon. v. 967: *εἰ παῖδά γ' εἶδες χεῖρας ἐκτείνοντά μοι* famulus ridicula sane curiositate interpellat: *μαστὸν διώκοντ' ἢ πρὸς ἀγκάλαις πεσεῖν;* — porro Orest. v. 755 Pylades, de Orestis calamitatibus certior factus, simplicitate non indigna illa, qua pueruli ludentes utantur, pergit: *κἀμὲ νῦν ἐροῦ τί πάσχω.* Quae quin solius stichomythiae gratia facta sint, non potest dubitari; hujus modi autem exempla qui plura requisiverit, reperiet l. l. a Kvičala congesta.

Itaque si tenuerimus, non solum plurimas stichomythias ad eam, de qua supra diximus, normam ab Euripide esse elaboratas, verum etiam hanc ipsam ob rem haud paucis locis personis fabularum verba loquenda esse tributa, quae jejuniora videantur et viliora, quin eos quoque locos, quibus turbata est stichomythia, ad hanc legem revocandos esse censeamus, non poterimus recusare. Jam vero stichomythias Euripideas,[2]) quoad fieri poterit, perlustraturis pauca quaedam de universa stichomythiae apud Euripidem indole atque ratione praemittenda nobis videntur.

[2]) In sequentibus autem eis, quae vere dicuntur, tragoediis Euripideis continendam esse disputationem ratus, Rhesum et Cyclopa, quarum altera num sit Euripidis dubitetur, altera a genere tragico, quod proprie dicimus, longius videatur abesse, a proposito alienas esse existimavi.

I. Plurimis locis stichomythiam praecedunt versus nonnulli, qui quasi prooemii vice fungantur; cf. Kvičala l. l. p. 621. Ubi longior quaedam oratio excipitur stichomythia singulos versus continenti, ultimos versus vel duos vel tres, relicta, de qua eo usque dictum est, materia, ad eam videbis quasi traducere rem, quam stichomythia tractandam sibi sumpsit poeta. Cf. Hec. v. 1230, Orest. v. 1069, Phoen. v. 595, Med. v. 1295, Alc. v. 495, v. 719, Andr. v. 234, Jon. v. 1284, Iph. Taur. v. 480, Iph. Aul. v. 693, Bacch. v. 634, Hel. v. 305, Herc. fur. v. 88; Hec. v. 967, Orest. v. 1583, Med. v. 909, Jon. v. 936, Iph. Taur. v. 602, 887, 992, Electr. v. 1111. Haud raro vero stichomythiam singulorum versuum ita instituit Euripides, ut aliam stichomythiam praemitteret brevem illam et binos versus continentem. Qua in re ita versatus est, ut aut utrique personae semel duos versus tribueret (Orest. v. 1178, Med. v. 658, Hipp. v. 311, Alc. v. 815, Suppl. v. 753, 1051, Heraclid. v. 59, Hel. v. 442), aut ut alteram bis duos versus faceret loquentem, alteram semel (Andr. v. 566, Phoen. v. 384, Hel. v. 772). Prorsus similis eorum locorum est ratio, quibus ante stichomythiam hemistichia continentem alteri personae semel versum integrum tribuit, alteri bis: Phoen. v. 980, Hel. v. 1628.

Stichomythiae distichae (liceat mihi — qualicunque jure — eas stichomythias, quae singulos contineant versus, dicere *monostichas,* quae binos, *distichas*), ut quae loquendi facultatem paullo largiorem praebeant, exordio illo, de quo supra diximus, complures versus continenti saepissime carent: Hipp. v. 770, Andr. v. 611, Iph. Aul. v. 818, Orest. v. 205 (nam v. 201—4 ad stichomythiam nihil pertinent), Orest. v. 625 (v. 623—24 enim ad Tyndareum scenam relinquentem conversus loquitur Orestes). — Haud ita saepe stichomythiae distichae complures versus, quae aditum aperiant, praemittuntur: Troad. v. 48, Hel. v. 1031; unus autem versus integer non potest stichomythiae distichae quasi prooemii vice fungi: quod quum non reperiatur nisi Jon. v. 265, quin Kirchhoffius suo jure lacunam statuerit, non est dubium. Qui enim loci praeter hunc videantur contrarium suadere, Bacch. v. 449 et Phoen. v. 594, quibus unum versum stichomythiam, ut videtur, introducentem duo versus sequuntur, priusquam stichomythia monosticha capiat initium, ii alio modo sunt explicandi. Priorem enim locum accuratius inspicientem non potest effugere, a Bacchi demum verbis, v. 451, ut qui primas per totam hanc scenam tueatur partes et arbitrum potius quam reum se gerat, stichomythiam capere initium. — Posteriore autem loco perspicuum est, Eteoclem nequaquam habuisse consilium plura cum fratre disputandi (cf. v. 589 *ἀλλ' ἀνάλωται χρόνος μάτην* et v. 593 *τῶν μακρῶν δ' ἀπαλλαγεῖσα νουθετημάτων μ' ἔα*) eumque potius jam scenam relicturum verbis: *καὶ σὺ τῶνδ' ἔξω κομίζου τειχέων ἢ κατθανῇ* v. 594 ampliorem altercationem fuisse praecisurum. Quae quum ita sint, pelluceat necesse est, v. 594 ad sequens colloquium, quod ut prohiberet potius quam ut afferret videatur Eteocli tributus esse, nihil posse pertinere et initium stichomythiae ponendum esse in versu 595.

II. Stichomythiam sive disticham sive monosticham alienam esse ab eis locis, quibus perturbatione vacui sint animi agentium vel quibus narrandi potius et exponendi quam altercandi ansa sit data, nemo non videt. Necesse est enim animum utriusque personae adeo esse incitatum ac permotum vehementer, ut sedatiorem orationem res ipsa recuset flagitetque abruptum illud, quale stichomythia praebeat, loquendi genus. Unde haud pauci exstant loci, quibus vel plures versus, interrogationem saepissime continentes, excipiantur uno versu personae respondentis (Electr. v. 364, 1004, Heraclid. v. 564, Med. v. 725, 928, Jon. v. 425, Phoen. v. 848, Troad. v. 880, Herc. fur. v. 584), vel alteri personae bini aut terni versus tribuantur, alteri quaterni aut plures (Hec. v. 380, 949, Med. v. 585, Hipp. v. 500, Jon. v. 1535). Hisce autem locis cave, ne stichomythiae legem violatam esse opineris: ea enim a consilio poetae prorsus erat aliena. — Quodsi in ejusmodi locis nonnullis personarum

loquentium eundem ac parem reperies versuum numerum (cf. Jon. v. 413, Suppl. v. 644, Phoen. v. 698, Hec. v. 498), id temere ac fortuito factum esse putandum est; nam lex stichomythiae latius quam ad duos versus non pertinet.

Eadem autem est ratio eorum locorum, quibus nuncii prodeunt res extra scenam gestas narraturi; qui quae proferunt, ea haud raro vel interrogando vel exclamando interrumpunt ii, quibus ferunt nuncianda. Nuncii autem quum non prodeant in scenam, ut ad modum personarum agentium, quae metuant aut sperent, quae habeant consilia, vel defendant altercando vel exponant, sed potius facta continua oratione narraturi, ab ejusmodi sane locis, exceptis paucis, de quibus infra videbimus, stichomythia aliena est. — Unde fit, ut ne in chorum quidem valeat lex stichomythiae, nisi eis locis, quibus actoris explet partes et ipsius actionis particeps tamquam persona agens in diverbium vocatur: Hel. v. 1628, 305, Heraclid. v. 271, Hipp. v. 267, 770, Alc. v. 145, 495, Bacch. v. 594, Electr. v. 750. Quibus autem locis chorus proprio ac suo munere fungitur, ut personis fabulae sive quaerentibus respondeat sive dubitantibus suppeditet consilia, eos, quum incitatiori dicendi generi locum non praebeant, ad stichomythiae legem compositos non esse, certum est, cf. Orest. v. 835, Hipp. v. 1142—45, Andr. v. 860, Jon. v. 1252, Heraclid. v. 120, Phoen. v. 1327.[3]) — Jam vero ad nuncios, de quibus supra diximus, ut redeamus, ea, quae praecedunt orationes eorum longiores, saepissime ad stichomythiae praecepta revocari non posse, elucet ex his locis: Med. v. 1110, Andr. v. 1042, Iph. Taur. v. 230—37, 1252, Hel. v. 1512. Nec tamen desunt loci, quibus stichomythiae participes videamus nuncios idque factum esse videtur his conditionibus:

a) si qua persona adeo audiendi est cupida, ut accuratiora in posterum differens interrogationibus tanta festinatione projectis, ut plura exponendi spatium non relinquatur nuncio, rerum gestarum summam studeat praenoscere: Phoen. v. 1083, Heraclid. v. 791, Iph. Taur. v. 238. Similis est ratio eorum locorum, quibus interrogationibus ad rem ipsam non pertinentibus nuncius impeditur, quominus statim promat, quae est narraturus: Electr. v. 763, Iph. Taur. v. 1285.

b) si cunctantem se praebet nuncius et haesitantem vel etiam inania loquitur, quae ut omittat, videatur esse monendus. Cf. Phoen. v. 1216, Hel. v. 598. — Nuncium praeterea, ubi quasi exuit proprios mores naturamque propriam et partes suscipit personae agentis, stichomythiae participem posse fieri, non est quod moneam: Hel. v. 699, Heraclid. v. 628, 961.

Hisce praemissis quum jam stichomythias fabularum Euripidearum in censum vocaturi simus, quarum plures haud scio an interpretando quam mutando possint sanari, primum paucis attingemus eas, quae, quamvis stichomythiae legem, qualem supra circumscripsimus et quam veram esse longe major stichomythiarum numerus evincit, *videantur* recusare, tamen perturbatae non sint sed ad certam quandam normam compositae; deinde eis, quae vitio aliquo laborant, si quam poterimus afferre conabimur medicinam.[4])

1. Stichomythias haud raro compluribus versibus interrumpi, si ad *novam personam* eo usque colloquii expertem vel tum demum in scenam prodeuntem convertatur oratio, recte monet Kvičala l. l. idque probat his exemplis:

Iph. Aul. v. 308: in versu 311 initium novae inter Agamemnonem et Menelaum stichomythiae est ponendum.

---

[3]) Kvičala ejecto versu 1328 aliam divisionem strophicam efficere conatus est; Kirchhoffius post v. 1329 lacunam statuendam esse censuit; neutrum nos probabimus, nam nihil huc pertinet lex stichomythiae.

[4]) In singulis autem locis perlustrandis si alicujus interpretis judicium me fugerit, id vitio mihi vertatur nolim; praeter ea enim, quae olim enotaveram, paucas admodum editiones inspiciendi mihi fuit facultas.

Heraclid. v. 640 sqq.: quadruplicem hoc loco habemus stichomythiam: primam inter nuncium et Jolaum v. 628—39, alteram inter Jolaum et Alcmenen v. 652—57, tertiam inter Alcmenen et nuncium v. 658—63, quartam inter Jolaum et nuncium v. 664 sqq.

Suppl. v. 112: cf. infra.

Herc. fur. v. 1392 sqq.: v. 1392 finis est stichomythiae inter Theseum et Herculem institutae; versui 1393 ad Amphitryonem converso respondet v. 1394, versui 1395 v. 1396; redeunt deinde loquendi partes ad Amphitryonem eis verbis, quae facit Hercules v. 1397, quae, quamvis responsionem contineant versus antecedentis, ad patrem potius quam ad Theseum conversum Herculem locutum esse, apertum est; sequitur denique nova inter Theseum et Herculem stichomythia inde a versu 1399. Potuit igitur poeta eodem jure, quo v. 1392, si voluit, interrumpere compluribus versibus stichomythiam post v. 1394 vel v. 1398, salvis eis, quas sequendas sibi statuit, alternorum versuum legibus.

Iph. Aul. v. 854: prodiens in scenam nuncius novam stichomythiam efficit inde a v. 854.

Iph. Aul. v. 1344: Clytemnaestra duobus versibus, 1343—44, ejus colloquii, quod cum Iphigenia habuerat, finem facit et inde a v. 1345 nova inter Achillem et Clytemnaestram incipit stichomythia.

Bacch. v. 643: Injuria interpretes lacunam statuisse non sine causa contendere videtur Kvičala; etenim verba *κλῄειν κελεύω πάντα πύργον ἐν κύκλῳ* v. 643 ad servos adstantes sunt conversa neque quidquam pertinent ad stichomythiam. Potuit hanc sententiam stabilire Kvičala in comparationem vocando Troad. versum 1040 sq., quo loco plane eodem modo Menelai cum Hecuba altercatio duobus versibus, 1041—42, interrumpitur, quibus servi jubentur abducere Helenam; qua re minime violari stichomythiae legem apertum est.

His locis addi praeterea possunt Herc. fur. v. 1098, de quo loco cf. infra, et ejusdem fabulae *v. 530*. In versu 530 collocandum est stichomythiae initium; Amphitryonem enim exclamantem: *ὦ φίλτατ' ἀνδρῶν — ἐσώθης εἰς ἀκμὴν ἐλθὼν φίλοις·* interrogat Hercules v. 532: *τί φῄς; τίν' εἰς ταραγμὸν ἥκομεν, πάτερ;* Jam vero responsurum Amphitryonem occupat Megara exclamando: *διολλύμεσθα·*, deinde vero ad senem conversa pluribus verbis, v. 533—36, ejus rogat veniam, quod sibi arripuerit, quae illi fuerint dicenda. Itaque versui 532 respondet prior pars versus 533: *διολλύμεσθα,* pergitque deinde stichomythia, postquam intercesserunt Megarae ad Amphitryonem verba, v. 537. In qua re inaequalitatem quandam inesse non potest negari, sed eam tamen, quam, si respexeris Megarae commotionem animi tam vehementem, ut vel invitam videatur abripere, paene necessariam fuisse confitearis necesse sit. Itaque ut responderet Megara loco Amphitryonis, animi ejus perturbationi non sine jure poeta largitus est; ut unum tantum verbum quasi invita promeret, tribuisse videtur modestiae mulieris sanae, non loquentis nisi justo et tempore et loco.

Si duarum personarum colloquentium altera inserit diverbio, quae ad tertiam quidem personam praesentem non sint conversa, sed quae secum ipsa, quam quasi simulatam dicas personam tertiam, colloquatur aut si qua persona profert, quae auditores, non personae agentes auribus percipiant, oritur inde haud raro quae videtur perturbatio stichomythiae. Ad quod probandum quae exempla attulit Kvičala, ea — excepto Hecubae v. 719 sqq., ubi tres versus Hecubae, 732—34, finiunt priorem stichomythiam et inde a v. 735 nova capit initium — dubito, num sobrio judicio electa esse existimes. Etenim ut persona fabulae ***secum*** loquatur, ad quae altera ordine et commodissime respondeat, fieri non potest. Contra — nisi poeta ita proponere voluit rem, ut alterius personae verba necopinantis et solam se adesse putantis ab altera persona ex improviso intervenienti fingeret exaudiri — simulandum est, alteram personam non audire, quae altera secum loquatur. Quod ita se

habere videmus Hec. v. 719 sq., quo loco Hecuba ab Agamemnone aversa ita loquitur, ille ut ejus verba exaudire non possit, cf. v. 722, 726. Id autem nequaquam quadrat in Electrae v. 557 sq., quo loco Kvičala perturbatam stichomythiam eo conatur defendere, quod Orestem v. 557—59 cum miratione quadam secum ipso, non cum Electra, loqui statuit. Sed Electram, quum aptissime respondeat v. 560, ea. quae Orestes locutus erat, audivisse apertum est. Mirationem praeterea Orestis, quam in v. 557—59 inesse voluit Kvičala, eam simulatam, non veram esse statuamus necesse est: expectavit enim, ut ipsum agnosceret senex, quod quin futurum esset, non potuit dubitare, cf. v. 285 sq. Ejusmodi autem mirationem, quae non vera, sed simulata sit, locum non habere in eis, quae personae fabulae secum ipsis loquantur, non est, quod moneam. — Neque majore jure cum Kvičala perturbata, quae est Heraclid. v. 962 sq., stichomythia ita potest excusari, ut Alcmenen versum 962 secum ipsa loqui et versu 963 demum converti ad nuncium statuamus. Verba enim *ἄλλως ἄρ' αὐτὸν αἰχμάλωτον εἵλομεν,* si Kvičalam sequimur interpretem („so soll denn seine Gefangennehmung umsonst sein"), moderationem animi indicant ab Alcmenes moribus prorsus alienam, cf. v. 973. Imo v. 962 interrogationem continet non sine miratione aliqua et indignatione emissam: «mene illo frustra potitam esse?» Etenim Eurystheum supplicio afficiendum esse, eo usque certissimum fuerat Alcmenae neque quemquam putaverat id impediturum; quodsi ex improviso et praeter omnem expectationem impediuntur, quae certissima sunt visa, nemo, nisi fallor, mirabitur, quum Alcmenen indignantem videat atque stupentem; contra quomodo fieri possit, ut lentitudine quadam animi contemplando se dedat et satis sedate secum ipsa loquatur, haud facile est intellectu.

Melius, nisi fallor, ea, de qua supra diximus, regula probatur Med. versu 61 sq., quo loco paedagogi cum famula colloquium singulos versus continens duobus versibus interrumpitur. Verba enim: *εἰ χρὴ δεσπότας εἰπεῖν τόδε* non sunt addita, nisi ad excusandam antecedentem exclamationem: *„ὦ μῶρος"* et a paedagogo ad se ipsum sunt conversa. Unde quae ad stichomythiam pertinent, relinquuntur haec:

v. 61 *ὦ μῶρος*
v. 62 *ὡς οὐδὲν οἶδε τῶν νεωτέρων κακῶν.*

quibus nihil offenditur stichomythiae lex, cf. infra. — Simili modo Andr. v. 64 in verbis: *σύνδουλος γὰρ εἶ τῇ πρόσθ' ἀνάσσῃ τῇδε, νῦν δὲ δυστυχεῖ* nihil inest, quod ad rem ipsam pertineat; quae verba quum ea sola de causa tribuantur Andromachae, ut explicentur et probentur antecedentia: *ὦ φιλτάτη σύνδουλε,* ad stichomythiam ipsam non pertinent nisi haec:

v. 64 *ὦ φιλτάτη σύνδουλε*
v. 66 *τί δρῶσι; ποίας μηχανὰς πλέκουσιν αὖ*
v. 67 *κτεῖναι θέλοντες τὴν παναθλίαν ἐμέ;*

Denique pertinet huc Hipp. v. 1381 sq., quo loco versus 1381—82 continent exclamationem a Diana non ad Hippolytum, sed ad se ipsam conversam; neque magis Hippolyti verba v. 1384—85 ad Dianam conversa sunt; imo stichomythia a verbis *ἔστ' ἐν τόποισι τοισίδ' Ἄρτεμις θεά;* demum initium capit indeque alternandi vices justo modo inter Dianam et Hippolytum sunt distributae.

2. At profecto saepius quam persona tertia, duarum personarum colloquio interposita, rei ipsius, de qua verba fiunt, vel conditionis, qua fruuntur personae fabulae, mutatio stichomythiae interrumpendae ansam praebuit poetae. Hujusmodi autem loci apud Euripidem hi fere exstant:

Andr. v. 66. Andromacha de imminenti filio periculo certior facta stichomythiam disticham quinque versibus interrumpit, v. 74—78; quo facto inde a versu 79 nova stichomythia eaque monosticha sequitur. Cujus rei causam in eo positam esse judicamus, quod ea res, de qua colloquuntur inter se Andromacha et famula, mutatur: initio enim agitur de insidiis, quas Molosso parant Her-

mione et Menelaus; jam vero inde a v. 79 nova res occupat animum Andromachae meditantis, num quid auxilii ferre possit Peleus et quem ad illum nuncium sit missura. Libri quidem manuscripti, v. 77 et 78 tribuunt *choro,* unde factum est, ut priores editores et ex recentioribus Nauckius famulae adscriberent hos versus, quos procul dubio suo jure Andromachae restituit Kirchhoffius. Praeterquam enim quod hi versus cum antecedentibus arctissime cohaerent, fieri vix potest, ut famula v. 77—78 eodem modo atque Andromacha v. 74 sq. absentem alloquatur Molossum. Itaque qui hos versus famulae tribuendos esse censeant, ii non poterunt, quin personam, ad quam convertatur oratio, v. 77 statuant immutari et verba *δοκῶ γὰρ οὐκ ἂν ὧδέ σ' ἂν πράσσειν κακῶς κείνου παρόντος· νῦν δ' ἔρημος εἶ φίλων* ad Andromacham esse referenda; quod tamen fieri vix potest, quoniam agitur de periculo imminenti non Andromachae, sed Molosso filio.

Heraclid. v. 675. Jolai cum famulo colloquium, cujus vices eo usque aequis partibus fuerant distributae, tribus versibus interrumpitur et inde a versu 678 nova incipit stichomythia earundem personarum: priore enim stichomythia, v. 662 sq. de Atheniensium exercitu deque instructa jam acie agitur, posteriore, 678 sq. de proelio jamjam incipienti deque Jolao pugnam inituro. Mutata igitur res, de qua agitur, stichomythiae interrumpendae praebuit ansam. Cavendum enim est, ne — quo Pflugkium deduxit nimium studium efficiendi stichomythiam omnibus numeris absolutam — v. 675 priorem stichomythiam statuamus concludere et incipere deinde a v. 676 novam stichomythiam eamque disticham (v. 676—79), quam excipiat denique inde a v. 680 stichomythia monosticha. Etenim v. 676—77, ut quos nuncius jam abiturus et scenam relicturus loquatur, quin prioris colloquii finem faciant, non potest dubitari, neque minus apertum est, Jolai demum consilium et quae profert verba v. 678 sq. revocare abeuntem nuncium et novam adducere stichomythiam. Quae quum ita sint, eodem jure, quo tres (475—77), quattuor vel plures versus nuncio salva stichomythiae lege potuit poeta tribuere.

Orest. v. 470. Stichomythia monosticha, cujus initium fecerat Menelaus, v. 470 interrumpitur compluribus versibus Tyndarei Orestem subito conspicientis: unde oritur nova stichomythia, qua de Oreste agitur. Nova enim materies stichomythiam efficit novam.

Alc. v. 1079 sq. Prima ex eis, quas hoc loco habemus, stichomythiis, amplectitur v. 1079—1125, quibus agitur de maerore Admeti deque recipienda in domum Alcestide; qua stichomythia finita verbis Herculis, v. 1121—25, secunda deinde incipit a v. 1126 sq. ejusque finis ponendus est in v. 1138. Haec autem stichomythia, quum Admeto duo versus, 1136—37, tribuantur, denuo videtur interrumpi. Quam perturbationem ut amoveat, quamvis possit quispiam inducere in animum, pertinere huc eam regulam, quam antea, 1., protulimus — etenim hi duo versus ab Admeto ad uxorem, ad tertiam igitur personam, convertuntur — tamen nescio, an non omnes hoc modo tollantur difficultates. Hanc enim rationem si sequi volueris, versus 1138, qui quin ad Admeti verba, quae antecedunt, sit referendus, non potest esse dubium, non habebit, cui respondeat. Quare alia explicandi via nobis erit ineunda. Exclamationes, quas extra versum posuit poeta, quales sunt *ἔα, φεῦ, ἰοὺ* cet. quamvis soleant in editionibus nostris ut versus numerari, non perturbare stichomythias, multis exemplis potest demonstrari, cf. Alc. v. 1104, Orest. v. 1051, Hipp. v. 345, 770, 1075, 1383, 1408 cet. Neque solum de eis exclamationibus, quas interjectiones nominarunt grammatici, *φεῦ, ἰοὺ* cet. id potest affirmari, verum etiam de eis, quae plura contineant verba et vel imperantis vel mirantis vel deplorantis esse soleant: cf. Iph. Aul. v. 1133 *ἔχ' ἥσυχος* et similiter Med. v. 61 *ὦ μῶρος*. Jam vero si tenuerimus, non multum interesse inter exclamantem et appellantem alterum, eam Euripides secutus esse videtur rationem, ut ea verba, quibus quis compellatur, licet totum versum faciant, in vicibus loquendi distribuendis nollet numerari. Unde fit, ut neque monosticha stichomythia duobus versibus,

neque disticha tribus perturbetur, si quidem prior vel primus versus continet allocutionem. Hunc in modum Alc. v. 492 verba *ξένοι, Φεραίας τῆςδε κωμῆται χθονός* ad stichomythiam nihil pertinent, sed versui 493 respondet v. 494 et inde a v. 495 mutata ea, de qua agitur, re, nova incipit stichomythia; eundem in modum Suppl. v. 115 ad tres Thesei versus stichomythiam monosticham introducentes Adrastus duobus versibus respondet, id quod fieri non posset, nisi alter versus: *ὦ καλλίνικε γῆς Ἀθηναίων ἄναξ* extra stichomythiam esset ponendus; cf. Andr. v. 64 *ὦ φιλτάτη σύνδουλε* et quae supra de hoc loco disputavimus. — Hanc autem legem non valere in eos locos, quibus allocutiones contineant sententiam plenam, ad quam exprimendam toto enunciato utitur oratio pedestris, non est, quod moneam. Etenim si, ut unum afferam, Iph. Aul. v. 1345 Achilles alloquitur Clytemnaestram: *ὦ γύναι τάλαινα, Λήδας θύγατερ,* hunc versum inter stichomythiae versus esse numerandum, per se intelligitur. Verba enim *ὦ γύναι τάλαινα* idem valent ac: *γυνὴ τάλαινα εἶ.* Similium autem locorum magna afferri potest multitudo: Hipp. v. 1080, Phoen. v. 1697, 1703, 1704, Hipp. v. 1400, 1404, Electr. v. 670, Jon. v. 272, Suppl. v. 293, Orest. v. 283 cet.

Jam vero ut ad Alc. v. 1074 sq. redeamus, mutata denuo colloquii materies novam affert stichomythiam inde a v. 1142. Etenim secundam stichomythiam, gratum et laetum Admeti animum proponentem, concludunt v. 1139—41; tertia deinde stichomythia, inde a v. 1142, Herculis cum Morte pugna memoratur, quo facto quarta denique sequitur stichomythia, v. 1152 sqq., qua de Herculis itinere agitur.

Electr. v. 1124. Quae adhuc inter se collocutae erant Electra et Clytemnaestra, quam crudeliter in liberos Agamemnonis consuluisset Aegisthus et quam contumaciter in Aegisthum se gessisset Electra, ea quum v. 1123 relinquantur et nova res, scilicet simulatus Electrae partus, proferatur in medium, jure stichomythia quattuor versibus, 1124—27, interrumpitur.

Electr. v. 557. Priore stichomythia, v. 552 sqq., Orestes de paedagogo sciscitatur, quis sit; quo facto, post v. 556 quum personas agentes, dum paedagogus in Oreste oculos defigit, aliquamdiu silentium tenere verisimile sit, jam novam proferri rem satis demonstrat Orestis miratio exclamantis: *ἔα· τί μ' εἰςδέδορκεν κ.τ.λ.* v. 557. — Itaque quum in v. 556 prioris stichomythiae finis sit ponendus, inde a v. 557 nova incipit stichomythia, quae pertinet usque ad v. 563.

Hec. v. 732. Usque ad v. 732 quum Hecuba dubitet, num Agamemnonis expetat auxilium, jam v. 734 certum capit consilium. V. 732—34 igitur priorem stichomythiam concludunt et a v. 735 nova capit initium. Itaque quod, quum a dubitando et haesitando ad certum consilium Hecuba avocet animum, rerum et totius conditionis quasi fit mutatio, interrumpendae stichomythiae justa poetae praebetur causa.

Simili modo nescio an interrupta stichomythia Bacch. v. 1258 sq. sit explicanda, quo loco Kirchhoffius, mutato v. 1258, v. 1259 censuit ejiciendum esse. Etenim v. 1258—59 Agave a bacchico furore ad sanam mentem revertitur: quae animi et, quae inde nascitur, conditionis mutatio satis valet ad novam stichomythiam afferendam. Prior igitur stichomythia est inter Cadmum et *filiam bacchantem,* posterior, inde a v. 1260, inter Cadmum et filiam *sui compotem.*

Neque plus offensionis habet interrupta stichomythia, quae est in Orest. v. 245, licet plurimi interpretes suspectum habeant v. 247. Etenim interpositi tres versus, 245—47, non perturbant stichomythiae rationem, sed initium sunt novae stichomythiae: prior enim stichomythia est *inter Electram et Orestem sui compotem,* posterior inter Electram et *Orestem furentem*

Jam eis, de quibus modo diximus, Baccharum et Orestis locis addendus est Orest. v. 1021. Quo loco quum eis demum versibus instituatur stichomythia, quibus sororem muliebriter lamentantem

vituperat Orestes, 1021—23, versus 1023 non habet, quod suspicionis ansam nobis praebeat. Quae deinde sequitur stichomythia disticha, ea quinque versibus Orestis, 1046—50, interrumpitur. Nec tamen assentiemur Kirchhoffio post v. 1047 duos Electrae versus intercidisse existimanti: etenim usque ad v. 1046 Orestes animum sedatum et fortem retinens a lugendo et lamentando abstinuerat; jam vero sororis amantissimae moerore mollitus inde a v. 1046 et ipse lamentari incipit et Electrae blandimentis totum se dedit. Animi igitur affectio subito mutata, cur stichomythia interrumpatur, hoc loco non minus quam v. 245 justam continet causam.

Phoen. v. 906 et 914. Stichomythia, ut bis videatur turbari, efficit res, de qua agitur, bis mutata. Etenim usque ad v. 906, num Tiresiae vaticinatio cum Creonte sit communicanda, quaeritur; deinde versus 906—13 sunt de Menoeceo submovendo; versu 914 sq. denique de ipso oraculo agitur. Unde fit, ut triplex evadat stichomythia: v. 899—906, 907—13, 914—33. Quare quae Kvičala protulit l. l. p. 618, Euripidem alium versuum ordinem aliamque inter Creontem et Tiresiam distributionem efficere voluisse, non minus illam aequabilem: quinis enim versibus inter Creontem et Tiresiam pariter distributis, 901—5 et 909—13, pari intervallo ternos Tiresiae versus esse interpositos 906—8 et 914—17,[5]) — ea ita tantummodo possunt probari, ut ex ratione ac lege stichomythiae utroque loco, et v. 906 sq. et v. 914 sq., non minore jure quattuor vel plures quam tres versus potuisse Euripidem Tiresiae tribuere concedamus. Etenim stichomythiae monostichae non solum duos vel tres, sed etiam plures versus tamquam prooemium posse praemitti, supra monuimus.

Hipp. v. 1054. Versus 1054—56, quibus spem omnem potestatemque innocentiam probandi filio praecidat Theseus, priorem stichomythiam concludunt; jam qui sequuntur versus Hippolyti quattuor, 1057—60, initium continent alterius stichomythiae, qua Hippolyti de indigna, qua affictetur, sorte querelae justissimae et Thesei furor ac caecitas animi inter se opponuntur.

Orest. v. 1609. Duo hemistichia, v. 1608, sequitur versus integer, 1609, quo interposito ad hemistichia redit oratio. Etenim verbis: *σίγα νῦν, ἀνέχου δ' ἐνδίκως πράσσων κακῶς*, quibus dictis, Orestem a patruo plura etiam locuturo se avertisse fingendum est, finis continetur prioris stichomythiae. Nova deinde stichomythia incipit inde a v. 610, qua Menelaus, quum antea nihil nisi minas et opprobria jactasset, jam ad preces videtur descendisse.

Jam vero ex eis, de quibus supra exposuimus, locis satis apparere existimo, eam, quam sibi statuerat stichomythiae legem, ut singulis versibus responderent singuli, bini binis, ita secutum esse Euripidem, ut hunc ordinem relinquendum esse censeret hisce conditionibus: 1) si personarum, quae colloquuntur, instituitur mutatio, vel ita ut tertia persona eo usque colloquii expers in alterius locum substituatur, vel ut singula quaedam inter colloquendum ad tertiam personam praesentem convertantur, vel ut altera persona ea, quae facit, verba non ad alteram convertat, sed ad se ipsam, quae est simulata persona tertia; 2) si ea res, de qua eo usque collocuti sunt personae agentes, vel tota personarum conditio vel animorum affectio subito mutatur.

His igitur locis, de quibus hucusque locuti sumus, quum interpretando potius quam conjiciendo mederi conati simus, jam ad eos transibimus, qui, violatis stichomythiae legibus, vitio aliquo laborant. Cujusmodi loci exstant permulti, quos depravatos esse adeo sit apertum, ut uberiorem disputationem non videantur flagitare. Etenim, ut paucis utar, post Suppl. v. 766 vel Bacch. v. 1289 quin versus interciderit, vel Hel. v. 779 (cf. v. 804 et Phoen. v. 975) et Iph. Aul. v. 1438 (cf.

[5]) v. 915 enim ut ejiciatur, non sine causa cum aliis interpretibus Kvičala videtur postulare.

v. 1448) quin spurii sint habendi, vix quemquam existimo dubitare. His igitur locis omissis, jam in eos inquiremus, de quibus adhuc sub judice lis est.

Hec. v. 741 sq. sic in editionibus solent exhiberi:

Ag. 737 *τί χρῆμα μαστεύουσα; μῶν ἐλεύθερον*
738 *αἰῶνα θέσθαι; ῥᾴδιον γάρ ἐστί σοι.*
H. 739 *οὐ δῆτα· τοὺς κακοὺς δὲ τιμωρουμένη*
740 *αἰῶνα τὸν σύμπαντα δουλεῦσαι θέλω*
A. 741 *καὶ δὴ τίν' ἡμᾶς εἰς ἐπάρκεσιν καλεῖς;*
H. 742 *οὐδέν τι τούτων ὧν σὺ δοξάζεις, ἄναξ.*
743 *ὁρᾷς νεκρὸν τόνδ', οὗ καταστάζω δάκρυ;*

Inter libros autem manuscriptos in praestantissimis, Marciano A et Vaticano B, v. 739—41 desunt iidemque in Marciano F, qui et ipse melioris est notae, a secunda manu in margine perscripti sunt, a prima inserti post v. 762. Inde quum possis colligere, hos versus Euripidi ipsi esse abjudicandos, tamen, quum in universum misera sit et iniqua codicum Euripideorum conditio, ne eorum quidem librorum, qui optimi fere sunt, tanta videtur esse dignitas, ut hac sola auctoritate nisi vel ea ejiciamus, quae et reliqui exhibeant omnes nec poeta sint indigna aut a sententiarum connexu aliena. Quod quidem hoc loco videtur tenendum. Offenderunt autem in his versibus viri docti, quod non solum stichomythiae leges a poeta neglectae, sed ne sententiarum quidem nexus optimus videretur. Et stichomythiae quidem restituendae primus, quantum video, operam navavit vir quidam doctus in Diario classico (Vol. II. Nr. III. p. 610) hunc proponens versuum ordinem: 737, 738, 742, 739, 740, 741, 743. Et ille quidem ut non assecutus est, quod voluit, ita effecit, quod ipse non spectavit. Etenim tribus versibus 742, 739, 740 inter duos 737, 738 et unum 741 positis quum magis etiam corrumpatur aequalitas membrorum, stichomythiae restitutionem admodum infeliciter ei cessisse, neminem fugit; contra sententiarum connexum si spectas, adoptata ea, quam vir doctus indicavit, ratione, non solum v. 742 nihil habet difficultatis, verum tollitur etiam offensio, quae nescio an insit in abrupta Hecubae oratione v. 742, 743. — Hanc anonymi rationem, a cujus partibus ne quis stare velit, vix vereor, refutare conatus est Matthiaeus quaesitiore etiam et argutius excogitata, sed ea tamen, quae nec stichomythiam restituat nec sententiarum connexui, si quid habet offensionis, possit mederi. Voluit enim vir doctus versibus 737, 738 tamquam antistrophae cuidam respondere v. 735, 736, qui quasi stropha essent; stropham secundam deinde contineri v. 739, 740, 741, cui responderet antistropha v. 742, 743, 744. De cujusmodi nugis satius erit verbo monuisse. — Jam vero Kirchhoffius et Hermannus unum Agamemnonis versum consentiunt intercidisse, de loco, quo interciderit, dissentiunt. Quorum prior quum recte vidisset, post verba: *καὶ δὴ τίν' ἡμᾶς εἰς ἐπάρκεσιν καλεῖς;* hiare nexum sententiarum, lacunam statuit post v. 741, quattuor existimans in margine adscriptos fuisse versus, quorum tres tantum servati essent, unus corrosis folii marginibus evanuisset. Hermannus contra quum non minus recte intellexisset, non bene se habere abruptam Hecubae orationem v. 742, 743, post v. 742 unum Agamemnonis versum existimavit periisse. — At Kirchhoffii suspicio nescio an eo satis videatur refutari, quod in eodem codice F a *prima* manu tres tantum versus sunt infra adscripti nec perditi versus ulla adsunt vestigia; praeterea autem, quod recte judicavit Hermannus, v. 743 non bene excipit antecedentem. Hermanni autem rationem si adoptaveris, remanet disturbatus sententiarum connexus post v. 741, quem jure notavit Kirchhoffius: etenim postquam Agamemnon interrogavit: *καὶ δὴ τίν' ἡμᾶς εἰς ἐπάρκεσιν καλεῖς;* non recte respondet Hecuba: *οὐδέν τι τούτων,*

ὧν σὺ δοξάζεις, ἄναξ. — Jam igitur ut meam aperiam sententiam, ejiciendum esse existimo v. 742: οὐδέν τι τούτων ὧν σὺ δοξάζεις, ἄναξ. quod si probaveris, et optimus evadit sententiarum nexus et perfecta stichomythia. Sed ne temere arbitrio videar indulgere, jam paucis hanc suspicionem conabor stabilire. Versus 739—41, igitur quum in librorum nostrorum archetypo scriptoris errore essent omissi, jam quum inter v. 738 et 743 hiaret nexus sententiarum, additus est v. 7[illegible], qui idem retinebatur, postquam v. 739—41, in archetypo, animadverso errore, postea demum adscripti, suum locum recuperarunt. Apparet enim versum 742, ut optime se habuit post v. 738, quum facile suppleatur cogitatione: μαστεύω, ita post v. 741 vix posse ferri. Ejecto autem hoc versu, multo, opinor, accommodatius evadit hoc Agamemnonis et Hecubae colloquium. Etenim quum satis diu Hecuba in antecedentibus haesitaverit (cf. v. 720—34), jam postquam certum cepit consilium, v. 734, tandem aliquando debet exspectari, ut proferat, quae velit, et languent cunctatio et responsa incerta, quae rem ipsam diligenter evitant, denuo per complures versus continuata. — Aliter de his versibus judicavit Kvičala. Negat enim vir doctus, v. 742 male se habere, quippe qui responsionem contineat non versus antecedentis, sed versus 737. Sed quis tandem putabit, Euripidem vel quemquam omnino ita locutum esse, ut non ad interrogationem proxime praecedentem ea, quae respondentur, vellet referri, sed ad eam potius, quae satis longo intervallo praegressa est, v. 737, suamque et justam habeat responsionem versu proxime insequenti 739? — Deinde vero quae de stichomythia, quam turbatam esse negat, disputat Kvičala, ea nullo modo possunt probari. Voluit enim versum 742 respondere versui 741; jam inde a v. 743 incipere novam stichomythiam. Itaque si Kvičalam volueris sequi, triplex evadit stichomythia: prima pertinet usque ad v. 740, altera amplectitur v. 741 et 742, tertia denique initium capit inde a v. 743. Sed quum neque rei, de qua agitur, neque personarum colloquentium instituatur mutatio, ex legibus Euripideis fieri non potest, ut stichomythia interrumpatur.

Simili modo Kvičala perturbatam stichomythiam his locis conatur defendere: Jon. v. 941, Iph. Taur. v. 70, v. 791. Jon. v. 941 igitur Kvičala, quum censeat versibus 939—40 contineri priorem stichomythiam separandam illam a sequentibus, in v. 941 novae stichomythiae ponit initium. Quae ut probaret, duos attulit locos, Herc. fur. v. 1098 et Hec. v. 236, quorum rationem eandem esse opinatur. At priorem locum, ut quo mutentur *personae* colloquentes — etenim v. 1096 et 1097 sunt inter Amphitryonem et *chorum*, ea autem, quae jam sequitur, stichomythia v. 1098 sq. est inter *Herculem* et Amphitryonem — nihil huc pertinere ex eis, quae supra disputavimus, satis est apertum. Altero vero loco, Hec. v. 236, *rem*, de qua agitur, videmus immutari novumque inde a v. 237 instituí sermonem: eo usque enim Hecuba id solum efficere conata est, ut locuturae sibi aures praeberet Ulixes; quo impetrato, jam monet Ulixem beneficiorum, quae in eum contulerat maxima. — Ejusmodi autem causam interruptae stichomythiae frustra quaeres in Jon. v. 941. Etenim quae verba facit Creusa v. 941, ea arctissime cohaerent et cum eis, quae ad stichomythiam traducturus locutus erat paedagogus, v. 936—38, et cum Creusae verbis v. 939. Videtur versus 942, qui quin Euripidi abjudicandus sit, e ratione stichomythiae non potest dubitari, insertus esse ad explicandum versum antecedentem ab interpolatore reliquos hujus fabulae locos, quibus ejusdem loci fit mentio, memoria tenenti: v. 11 προςβόῤῥους πέτρας — Μακρὰς καλοῦσιν· v. 293 Μακραὶ δὲ χῶρός ἐστ' ἐκεῖ κεκλημένος· v. 1403 Κέκροπος ἐς ἄντρα καὶ Μακρὰς πετρηρεφεῖς· Etenim ne grammaticas quidem leges si respexeris, bene se habet hic versus. Quo enim referenda esse putabimus verba: ἃς Μακρὰς κικλήσκομεν? Cum verbis proxime antecedentibus: πρόςβοῤῥον ἄντρον conjungi nequeunt: non enim antrum, sed ipsae rupes Μακραί nominabantur; sin autem ad Κεκροπίας πέτρας haec verba referenda esse statueris, necesse erit πέτρας Κεκροπίας accusativum numeri pluralis esse opineris, quod tamen nullo modo fieri

potest. Etenim servato versu 942, quum verba *πρόςβοῤῥον ἄντρον*, ut quae non idem significent ac *Κεκροπίας πέτρας*, appositionis vice non possint fungi, non poterimus, quin verba *πέτρας Κεκροπίας* genitivum numeri singularis esse existimemus; quod, nisi fallor, plerique interpretes ea, quam secuti sunt, interpungendi ratione satis indicarunt.

Iph. Taur. v. 70. Singulos Orestis et Pyladis versus, 67, 68, quamvis duo excipiant, tamen Kvičala (Beiträge zur Kritik und Exegese der Taur. Iph. p. 9) perturbatam esse stichomythiam negat, quam sententiam hisce studet stabilire: 1) quum non solum versus 67 et 68 loquantur Orestes et Pylades, priusquam in scenam ipsam prodeant, sed etiam a more Euripideo abhorreat, ut personae prodeuntes statim alterno sermone utantur, stichomythiae initium locandum esse in v. 69; 2) versum 70, si non necessarium, tamen aptissimum esse, ut quo ejecto mirum possit videri, Orestem et Pyladem non statim fugere templum illud nefastum; necesse igitur esse, cognoscant spectatores, consulto eos venisse. Jam igitur de posteriore, quam attulit Kvičala, causa ut prius videamus, consulto venisse Orestem et Pyladem adeo mihi videtur apertum, ut saepius indicari minime sit necesse. Etenim licet universam conditionem personarumque habitum omittas, satis id mihi demonstrari videtur eis, quae interrogat Orestes v. 69: «num illud tibi videtur templum deae esse?»; moliri autem eos aliquid — quod quid sit, tamen nemo e versu 70 poterit cognoscere — non solum ex Orestis verbis: *δοκεῖ σοι μέλαθρα ταῦτ' εἶναι θεᾶς;* sed inde etiam satis pellucet, quod cautissime et timidissime se gerunt (v. 67, 68). Novi autem, etiamsi verba *ναῦν ἐςτείλαμεν* Kvičalam secuti converterimus: «quo tetendimus, ubi appellere consilium fuit,» e versu 70 nihil spectatores comperiunt, nisi Argis eos venisse, quod quum v. 69 Pyladis nomen acceperimus et v. 71 Orestis simus accepturi, nequaquam necessarium esse non poterit negari. Quod autem Orestem et Pyladem v. 67 et 68, priusquam in scenam ipsam prodeant, Kvičala vult loqui, non negabimus, fieri id potuisse, sed spectatori *audienti*, quae dicantur, idem valet versus extra scenam pronunciatus atque ea, quae in scena fiunt verba. Personas autem agentes in ipso prodeundo in scenam initium facere stichomythiae, nescio cur Kvičala miratus sit, qui, ubi valde commotae sint personae ac perturbatae animis, saepius id usu venire, ipse animadverterit: qualem hoc loco Orestis et Pyladis esse conditionem, nemo negabit. Praeterea si quid est in stichomythia exordio carenti offensionis, ne Kvičalae quidem ratione adoptata id tollitur: quam qui sequi voluerit, versibus 67 et 68 contineri stichomythiam, brevem quidem illam sed tamen justam, confiteatur necesse erit. — Quae autem Klotzius, dum Kvičalae sententiam probat, profert: «mihi neglecta *στιχομυθίας* ratio propterea videtur, quod Pylades non patitur Orestem orationem ad finem perducere» — ea sunt ejusmodi, ut quid sibi voluerit vir doctus, haud facile perspicias. Etenim si versum 70 exciperet versus 72, non interposito versu 71, qui fieri possit, ut stichomythia melior aut perfectior inde evadat, non facile inveniri existimo, qui intelligat. — Itaque quum et stichomythiae ratio flagitet et Orestis animi conditio commotior sit, quam cui supervacanea et inania, qualia v. 70 continentur, conveniant verba, vix poterit dubitari, quin Nauckius cum aliis v. 70 jure spurium judicaverit.

Iph. Taur. v. 791. Kvičala quum duas statueret stichomythias, prioris finem in v. 799, alterius initium in v. 800 collocandum esse censuit versumque 799, cui opposita essent verba: *ἃ δ' εἶδον αὐτός* v. 810, utique necessarium esse existimavit. Sed Orestis verba *ἃ δ' εἶδον αὐτός* vel sublatis verbis *ἀκοῇ Ἠλέκτρας κ. τ. λ.* optime se habent. Etenim quum per se intelligatur, non potuisse fieri, ut Orestes omnes eas res, quarum facit mentionem v. 800—9, suis oculis videret, opponenda potius inter se videntur haec: *οἶσθα γενομένην ἔριν* et *ἃ δ' εἶδον αὐτός*. Quod autem porro attulit Kvičala:

duas stichomythias hoc loco statuendas esse, satis indicari eo, quod quum usque ad versum 799 Iphigenia interrogantis, Orestes respondentis partes explevisset, hic ordo inde a v. 800 immutaretur, potuit ex eo ipso loco, quo quidem ut suam sententiam stabiliret usus est, Orest. v. 724 sq., discere vir doctus, nihil omnino id valere. Etenim usque ad v. 754 Pylades interrogat, Orestes respondet: quae ratio quamvis inde a v. 755 contraria evadat, tamen stichomythia nullo modo interrumpitur, neque plura quam in antecedentibus Pyladi tribuuntur loquenda. — Neque magis alterum, quod Kvičala attulit, exemplum videtur quadrare: Iph. Taur. v. 1177. Hoc enim loco stichomythia minime interrumpitur duobus vel pluribus versibus, sed omissa stichomythia monosticha jam inde a v. 1177 singula hemistichia personis colloquentibus tribuuntur. — Interruptae autem stichomythiae, qualem habemus Iph. Taur. v. 799, quum nec personae loquentes mutentur nec res, de qua agitur — Orestis enim verba v. 797 *πατρῴων ἐκ δόμων τι πυνθάνου* cum v. 799 et eis, quae sequuntur, arctissime cohaerent — justa causa exstat nulla.

Iph. Taur. v. 724. Versus 724, quum et stichomythiae ratione damnetur nec contineat quidquam, quod alicujus momenti sit, — Argos enim epistolam ferendam esse et indicaverat Iphigenia v. 721 et mox indicaturus est Pylades v. 755 — quin ejiciendus sit, dubitari non potest.

Phoen. v. 712. In perturbata stichomythia quod inest vitium, quum augeatur eo, quod v. 711—12, quales insunt in libris manuscriptis, explicari nequeunt, plura depravata esse non sine jure colligemus nec multum fortasse a vero aberravit Kirchhoffii suspicio posteriorem partem versus 711 et v. 712 spuria judicantis.

Electr. v. 573. In laesa stichomythiae lege quod nemo, quantum video, interpretum offenderit, mirandum sane videtur. Etenim post v. 573 unum Electrae versum intercidisse secundum leges stichomythiae Euripideae certum est. Euripides enim, id quod supra notavimus, locis permultis solius stichomythiae gratia alteram personam interrumpentem fecit alteram (Jon. v. 275, 1007, 1017, 1334, 1350, Iph. Aul. v. 726, Hel. v. 314, Herc. fur. v. 711, Suppl. v. 936, Orest. v. 1592, Hec. v. 981, 1237 cet.) idque haud raro eum in modum, quem parum aptum non injuria judicemus. Atque hoc quidem loco Electram, quam vehementissime commotam et exspectatione erectam esse sit necesse, festinanter et raptim interrogando interrumpere paedagogum et veri simillimum est et propter animi ejus perturbationem prope necessarium videtur.

Electr. v. 650. Ferri posset interrupta duobus versibus stichomythia monosticha, si v. 649 Oresti liceret tribuere: quo facto v. 650—51 continerent initium novae inter Electram et ***paedagogum*** stichomythiae. Sed Electrae verba: *λέγ', ὦ γεραιέ, τάδε Κλυταιμνήστρᾳ μολών* et: *λεχώ μ' ἀπάγγελλ' οὖσαν ἄρσενος τόκῳ·* sine conjunctione aut copula posita ulla defectum unius versus videntur indicáre, quem statuamus necesse est, si v. 649 paedagogo tribuerimus.

Hel. v. 1197. Hermannus et Kirchhoffius, ut stichomythiam restituerent, post v. 1197 lacunam statuerunt. Rectius haud dubie Nauckius et Kvičala postulant, ut v. 1197 ejiciatur; quorum posterior suo profecto jure contendit, verba *οὐδέν τι χαίρω σοῖς λόγοις, τὰ δ' εὐτυχῶ* quum a Theoclymeni moribus, tum ab ea, qua hoc loco ardeat, exspectatione et curiositate esse aliena. Praeterea autem si versum intercidisse statuerimus, quam putabimus infuisse sententiam? Etenim si tenuerimus, cum illo versu arctissime conjungenda esse Theoclymeni verba interrogantis: *πῶς οἶσθα; μῶν σοι Θεονόη λέγει τάδε;* et Helenam respondere: *κείνη τέ φησιν ὅ τε παρὼν ὅτ' ὤλλυτο;* nihil perdito versu potuit nunciari nisi aut mors Menelai aut saltem quae ad mortem ejus pertinerent. Alterum autem jam factum est v. 1196, alterum fit v. 1209 sq.

Hel. v. 80. Duos versus Helenae excipiunt Teucri tres (80—82), quos deinde stichomythia monosticha sequitur, quae et ipsa brevi stichomythia disticha denuo interrumpitur. Tam brevi autem intervallo quod stichomythia monosticha et disticha commutantur, nescio an nihil habeat offensionis; contra quod Teucro tres versus tribuuntur, aliquanto plus dubitationis nobis movebit. Traducunt enim ad stichomythiam v. 71 sq.; jam quum Helenam duos versus, 78—79, loquentem fecerit poeta, ex ratione stichomythiae fieri non potest, ut Teucro plures quam duo versus tribuantur. Ejiciendus igitur erit v. 81: *μισεῖ γὰρ Ἑλλὰς πᾶσα τὴν Διὸς κόρην,* qui ne sententiarum quidem connexui satis est aptus. Etenim causam eorum, quae praecedunt, hic versus continet nullam — pro *γάρ* particula potius adversativam exspectabimus — et anticipat ea, quae Helena dictura est v. 85. — Quodsi quis contra hanc sententiam attulerit Orest. v. 1313 sq., qui locus, quum Electrae duos versus loquenti, 1313—14, Hermione respondeat tribus, 1315—17, videtur probare, posse initio stichomythiae duos versus alterius personae excipi alterius tribus, tenendum erit, stichomythiae initium hoc loco ponendum esse in v. 1315, quo Hermione, postquam breviter respondit Electrae interroganti, ejus, de qua insequenti stichomythia agitur, rei primum facit mentionem.

Electr. v. 1111 sq. Merito Nauckius v. 1115 suspectum judicavit. Etenim sententia, quae inest, quod languida sit et minus apta, etsi premere nolumus, tamen defendi non poterit, quia post tres versus stichomythiam monosticham introducentes, 1111—13, priusquam ipsa stichomythia capiat initium, alterius personae versus duos interponere non licet. — Quod ita se habere, ne quis existimet esse negandum, breviter libet enumerare eos locos, quos, quamvis minime repugnent eis, quae contendimus, nescio an quispiam putare possit, probare contrarium: Iph. Taur. v. 788 — initium enim stichomythiae, cujus instituendae non Orestis verba, v. 788—90, sed dubitatio Iphigeniae fratrisque repudiatio continent causam, ponendum esse in v. 791 apparet — Alc. v. 1074 — nam stichomythia ab eis demum incipit verbis, quibus Admetum consolari conatur Hercules, v. 1079, — Iph. Aul. v. 1120 — etenim v. 1120—21 ab Agamemnone ad Iphigeniam, v. 1122—25 a Clytaemnestra ad se ipsam convertuntur et a v. 1126 demum incipit ea, quae est inter Agamemnonem et Clytaemnestram stichomythia — Med. v. 806 — nam chorus v. 806—8 suam sententiam aperiens, ut saepius, personae agenti suppeditat consilium, quod postquam refutavit Medea, inde a v. 811 incipit stichomythia. — De Suppl. v. 115 cf. supra.

Med. v. 909. V. 915: *γυνὴ δὲ θῆλυ κἀπὶ δακρύοις ἔφυ,* quod satis indicat neglecta stichomythiae ratio ab hoc saltem loco alienus est. Aut ejiciendus igitur erit versus aut adoptanda sententia viri docti in Diar. Class. III. p. 611 prolata, post v. 918 inserendum esse censentis.

Alc. v. 830. Versus 830—32, id quod indicat schol. Vat.: *ταῦτα τὰ τρία ἔν τισιν οὐκ ἔγκειται,* cum Kirchhoffio et Nauckio spurii habendi sunt et post v. 829 lacuna statuenda. Quae Klotzius, ut hos versus servaret, protulit, ea vereor ut cuiquam persuadeat. Etenim licet concedamus quod contendit vir doctus: «ubi ipse fabulae nodus solvitur — justissima et maxime idonea causa est stichomythiae neglegendae,» tamen qui possit fieri, ut v. 829—32, quibus nihil omnino Hercules comperit, nisi quod compertum jam dudum habebat, scilicet tempore non apto se venisse et domum Admeti maerore esse afflictam — quo igitur modo fieri possit, ut hi versus contineant nodum fabulae, non facile intelligitur. — Quod autem porro censet Klotzius, versu 828: *ἀλλ' ἦ πέπονθα δείν' ὑπὸ ξένων ἐμῶν;* «justam quasi ansam famulo praebitam esse longioris narrationis de funere Alcestidis eaque opportunitate jam incipere uti famulum,» profiteor equidem, ejusmodi narrationis ne vestigia quidem levissima me reperisse in verbis famuli, v. 829—31, qui non minus hoc loco tergiversetur et ambagibus utatur quam antea v. 823, 825.

Bacch. v. 920 sq. Non injuria Kvičala existimare videtur, versus Bacchi tres, 920—22, nihil habere offensionis. Etenim post v. 920 intermitti aliquamdiu orationem, dum Bacchus Pentheum lustrat, fingendum est; v. 921 deinde nova quodammodo incipit stichomythia, qua de singulis ornatus Penthei agitur partibus. — Quod autem eodem modo Kvičala defendere studet, quod v. 927 Pentheo non duo, quos flagitat stichomythiae ratio, sed unus versus tribuitur, paullo id mihi videtur audacius. Etenim intervallo orationi interposito, quod agendo — hoc igitur loco componendo capillos — expleatur, si quid omnino, nihil nisi defectus unius versus ejus personae, quae agit — hoc igitur loco Bacchi — poterit excusari.

Bacch. v. 832 sq. Vestigia codicis si sequeris, qui quidem per totam hanc scenam Bacchi partes tribuit nuncio, hic inde efficitur versuum ordo:

P. 832 *πᾶν κρεῖσσον ὥστε μὴ 'γγελᾶν βάκχας ἐμοί·*
D. 833 *ἐλθὼν ἐς οἴκους ἂν δοκῇ βουλεύσομαι*
P. 834 *ἔξεστι· πάντῃ τό γ' ἐμὸν εὐτρεπὲς πάρα*
D. 835 *στείχοιμ' ἄν· ἢ γὰρ ὅπλ' ἔχων πορεύσομαι*
836 *ἢ τοῖσι σοῖσι πείσομαι βουλεύμασιν.*

quem ordinem verum non esse satis apparet. Inde quum Heathius v. 832 et 833 Pentheo, 834 Baccho, 835, 836 Pentheo tribuisset, plurimorum tulit assensum. Attamen haec distribuendi ratio non eam tollit offensionem, quae est in perturbata stichomythia. Quae enim protulit Schoenius, stichomythiam ita esse institutam, ut v. 831—33 responderent versibus 834—36, ea, sive stichomythiae leges respexeris sive sententiarum connexum, stare non posse, vix videtur esse monendum. Etenim v. 831 ab antecedentibus sejungi non posse, quum responsionem contineat interrogationis antecedentis, apertum est. — Quare Hermannus, recepta lectione: *ἐλθόντ' ἐς οἴκους ἂν δοκῇ βουλεύσομεν,* quae, excepto *βουλεύσομεν,* codicis nititur auctoritate, v. 833 Baccho, contra v. 834—36 Pentheo tribuit. At ut versus 833 non optime videtur convenire Baccho, ita v. 834 a Pentheo prorsus est alienus. Minime enim totum hucusque deo se dedit Pentheus, qui incertus usque ad finem maneat et dubitans; nec potest fieri, ut Bacchus consultando moram velit afferri ei ipsi rei, quae ut celerrime rata fiat, cordi ei est. Denique qui potest fieri, ut in omnibus rebus suam facilitatem polliceatur Pentheus (*πάντῃ τό γ' ἐμὸν εὐτρεπὲς πάρα*) et eodem quasi spiritu dubitare se profiteatur, num deo sit obsecuturus: *ἢ γὰρ ὅπλ' ἔχων πορεύσομαι ἢ τοῖσι σοῖσι πείσομαι βουλεύμασιν*? — Aliam rationem proposuit Nauckius, quam magna audacia, parva, ut mihi quidem videtur, dexteritate persecutus est. Praeterquam enim quod post v. 832 et 833 singulos versus intercidisse opinatur, hunc in modum versus 834—36 constituit:

P. *στείχοιμ' ἄν· ἢ γὰρ ὅπλ' ἔχων πορεύσομαι;*
D. *ἔξεστι· πάντῃ τό γ' ἐμὸν εὐτρεπὲς πάρα*
P. *εὖ· τοῖσι σοῖσι πείθομαι βουλεύμασι.*

In quibus ut verbis: *ἢ γὰρ ὅπλ' ἔχων πορεύσομαι;* non recte utitur Pentheus, quippe qui paullo ante intellexerit, id ipsum nondum esse faciendum, ita huic ipsi versui repugnant verba: *εὖ· τοῖσι σοῖσι πείθομαι βουλεύμασιν*; etenim Bacchus non ut arma caperet, sed ut muliebrem vestem indueret, fuerat suasor. Praeterea autem verba: *εὖ· τοῖσι σοῖσι κ. τ. λ.*, ut quae certum contineant consilium, a Pentheo sunt aliena, quem, nondum totum laqueis, quos nexuerat Bacchus, irretitum, incertum manere satis demonstrant verba, quae sequuntur Bacchi v. 838 sq. Quare optime in Pentheum quadrant verba, quae tradita sunt: *ἢ γὰρ ὅπλ' ἔχων πορεύσομαι ἢ τοῖσι σοῖσι πείσομαι βουλεύμασιν.* —

Jam vero ut, quid ipsi censeamus, indicemus, optimus videtur evadere sententiarum progressus, si versum 832 post v. 834 inseruerimus, id quod non minus medetur stichomythiae perturbatae. Unde hic efficitur ordo:

P. 830 *καὶ πῶς δι᾽ ἄστεως εἶμι Καδμείους λαθών;*
D. 831 *ὁδοὺς ἐρήμους ἴμεν· ἐγὼ δ᾽ ἡγήσομαι.*
P. 833 *ἐλθών γ᾽ ἐς οἴκους ἂν δοκῇ βουλεύσομαι·*
D. 834 *ἔξεστι· πάντῃ τό γ᾽ ἐμὸν εὐτρεπὲς πάρα.*
P. 832 *πᾶν κρεῖσσον ὥστε μὴ ᾽γγελᾶν βάκχας ἐμοί·*
835 *στείχοιμ᾽ ἄν· ἢ γὰρ ὅπλ᾽ ἔχων πορεύσομαι*
836 *ἢ τοῖσι σοῖσι πείσομαι βουλεύμασιν.*

Versum 832 enim quum deliberabundus Pentheus secum ipso locutus esse putandus sit, nihil, nisi fallor, inest offensionis in eo, quod paullo abruptiore dicendi genere utitur. Quae si quis minus probaverit, is ut cum Kirchhoffio post v. 832 lacunam statuat, flagitat stichomythiae ratio.

Scribebam Wetflariae mense Sextili a. MDCCCLXIV.

Dr. Hermann Behrns.